



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Ignatius Loyola C. 31. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**



lius, qui ingens fœnus (quod trecentorum aureorum futurū erat) imminuisset. Obiit anno CCCC. XXXV. patriæ suæ unicum præsidium. Nam dum vixit contra imminentes urbi hostes ipse exercitum duxit, signa ipse tulit, utque animos civibus faceret, sæpè sæpius cum suis *Alleluia* insonuit, itaque ferè unus rectè Epiniciam ante victoriam cecinit. *Ex Surio.*

*Diem ex die ne differas; sed quàm celerrimè ad Dominum te converte, antequam severissimi Iudicis sententia pronuncietur, quæ te vocet ad reddendam rationem talentorum, quæ tibi dedit; & vincētis manibus & pedibus in tenebras exteriores extrudaris.* S. Ephrem. de Pœnit. & Conf.

S. IGNATIUS LOYOLA C. 31. Iulii.

**I**GNATIVUS è nobili milite Societatis JESU Dux animi sanitatem pedum debet vulnere, hujus curationem D. Petro, vitæ immutationem piorum librorum lectioni, castitatis verò donum Virgini MAGNÆ, quæ cum Filiolo suo spectandam illi se dedit. Ad hujus aram cum opima spolia, (arma sibi detracta) suspendisset, inter miros pœnitentiæ rigores, MARIA dictante, libellum illum Asceticum scripsit, quem ne libro satis laudes. Cum horas VIRGINIS percurreret, ad arcanum S. Triadis aspectum admissus est; Eiusdem Sabbatho extra se raptus, non nisi altero Sabbatho ad corpus rediit, Animarum lucro inhians, vir annorum XXXIII. literas discere est aggressus; mox socios scribere, parvas copias, sed ingens orbi laboranti præsidium, & cui JESUS ipse propitium Romæ se fore appromisit. Unicum ei symbolum fuit, *Major DEI Gloria*; per quàm familiaris illa cum lacrimis vox:  
Hem



*Heu quam sordet terra, cum calum aspicio!* Hoc obtinuit anno M.D.LVI. vir divinis ostentis, vaticiniis, miraculis clarus & natus Ecclesiæ bono. Nam sanctior juventutis educatio, reductæ ab exilio Musæ, proscriptæ hæreses, assertus DD. & templorum cultus, frequens iterum Sacramentorum usus, demum uterque Orbis, ille CHRISTO subactus, hic servatus, & quicquid in utroq; filii vel faciunt fortiter vel patiuntur, id omne IGNATII est opus. De Sodalitatibus VIRGINIS quid dicam? quisquæ ex his MARIAM Matrem clamas, rectè IGNATIVM patrem dices. *Ex vitâ.*

*O ingratiſſimum, ô duri cordis hominem, qui nondum intelligit, se ad labores perpetiendos, atque ad gloriam Domini Nostri Iesu Christi summo conatu quarendam & amplificandam longè maximè obligatum!* Ex Epist. S.P. Ignatii de perfect. Religiosâ.

## S. JOANNES COLUMBINUS C.

31. Iulii.

**O** Si Lector iis oculis vitam JOANNIS legeres, quibus ille Divorum legit! Et leges puto iisdem, si leges. Succensuit hic uxori cœnam seriùs apparanti. Illa, ut matrona erat præ aliis pia, jubet, dum famem rectiùs opsonet, oculos pascere legendis Divorum factis. Non erat hoc pro stomacho JOANNIS: abjicit librum. Mox tamen curiositate ductus tollit, legitque in quam primò oculis offendit Mariæ Ægyptiacæ vitam. Hic verò aliâ jam fame stimulari animus, & nauseare omnia terrena. Jam templa & preces amare, benè egenis facere, asseri incubare, castitatem cum conjuge colere, ædes in publicum peregrinorum stabulum vertere, denique ille nuper in pietate discipulus

vel